



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

187. [i.e. 287.] Dominica 17. post Pentecost. De dilectione Dei, & ejus
qualitatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 17. post Pentecost. 507

nationibus, & tempore Passionis Domini. Magnanimitatem, de qua ait Epiphanius Orat. de laud Deip. *Ovis immaculata, qua peperit agnum Christum.* Modestiam, in collocatione Angeli, & tota vita exercitam.

Conf. 2. Quam ego scateam vitijis oppositis; dolebo infelicitatem meam, & propolitis hebdomadæ renovatis supplicabo pro gratia speciali ad B. Virginem.

MEDITATIO CCLXXXVII.

Dominica 17. post Pentecosten.

De dilectione Dei, & ejus qualitatibus.

Aspiciam Dominum IESVM ferentem manibus suis legem igneam mandatum magnum dilectionis, volentemque hoc igne omnes homines accendere. Petam incendium dilectionis in me redundare.

Conf. 1. Charitas est virtus à Deo infusa animæ, quâ homo diligit Deum propter se, & proximum propter Deum.

Conf. 2. incitamenta ad eam. 1. Hoc est mandatum primum, & ultimum, diligere Deum, quia est, qui est. 2. Sum magis Dei, quam mei. 3. Pars debet magis amare Deum, ideo manus exponit se periculo, ut tueatur caput, hominisque vitam. 4. Res, quò magis est mea, magis diligitur: Deus est vita animæ

Y 2 meæ,

meæ, per quem beatus fio. 5. Amor amantem moraliter mutat in amatum, igitur, si Deum diligo, deificor. 6. Quia Deus prior dilexit nos. 7. Exemplo Christi amanti Patrem suum infinite, & me. Ut ostendit in Incarnatione, vita, & morte, ita, ut tota ejus vita fuerit non nisi charitas, laboriosa, & dolorosa. Hæc coarctabatur, donec summam dilectionis perficeret. 8. Si in altera vita non esset posita neglectoribus mādati hujus magni pœna, si neque esset remuneratio alterius vitæ observatoribus mandati hujus, adhuc amandus esset Deus, à quo habemus omnia.

Conf. 3. Actiones amoris Dei sunt omnes actus virtutum, de quibus hætenus actum est, & agetur; qui utrum ex amore Dei proficiscatur, ex qualitatibus amoris divini agnosceretur. 1. Amor divinus est dulcis, quò animæ Deus dulcescit, ad eum modum, quò mel, aut cibus suavissimus palatum inescat. 2. Est amor fortis, malum displicens ferre doctus. 3. Est amor liber, hostes contempnendo, omnia magnâ spiritûs libertate perficendo. 4. Est amor insatiabilis, quem fames, & sitis justitig ad majora desideria provocat. 5. Est amor incessabilis, qui Deum contemplari atque ampliùs, & ampliùs amare non cessat. 6. Est amor insuperabilis, qui non solum hosti resistit, eumque contemnit, sed quasi

Feria 4. Domin. 17. post Pentecost. 509

quasi unum quid animam cum Deo efficit, ita ut hostem non sentiat. Sunt hæc qualitates intensissimæ omnes in D. JESU Eucharistico, ut dicat D. Thomas: p. 3. q. 51. art. 1. ad 3. *Si homo particulari lumine cælesti amorem, quem sibi Deus ostendit, investigaret, in abyssum amoris Dei tam immensam deveniret, ut præ stupore & admiratione intellectus ejus deficeret, voluntas liqueceret, &c. Nam sicut proprium est amantium unum velle fieri cum amato, & sicut cibus fit una res corporaliter cum eo, qui illum comedit, sic Christus in sumptione Venerabilis unum nobiscum fieri voluit.*

MEDITATIO CCLXXXVIII.

Feria 2. Domin. 17. post Pentecost.

De ejus desiderio.

Aspiciam Dominum summum omnium Regem, qui à me despiciabili vult amari, ut Pater. Petam, ut hæc voluntas DEI impleatur in me.

Conf. 1. Quomodo amor Dei tantum nobis præcipiatur juxta illud August. 11. 7. in Epist. 1. Joann. *Dilige, & fac quod vis.* Hic amor debet esse latissimus, qui se extendat ad omnia Præcepta, & Consilia, implenda, ad omnia illicita etiã minima relinquenda, ad diligendum amicos & inimicos, omnèque amabile in Deo, & propter Deum. Debet esse

Y 3

longis.